Buczkovii Matthaei: Quaestio de rerum existentia in loco.

QVÆSTIO
DE
RERVM EXISTENTIA IN LOCO.

Ad diſputandum publico congreſſu propoſita in Almâ Academia Cracouienſi.
Menſe Octob. Die 14. Anno M. DC. XIX.

A

M. MATTH. BVCZKOVIO, *Cont. Ieroſ. Seniore, Coll. Minore deſ. Horis antemeridianis.*

Permiſſu M. D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Matthiæ Andreouienſis.

e.

Labor, & virtus, generoſa nutrit pectora. *Senec. Epiſt: 31.*



Sub felicibus auſpiciis M. D. ac Rñdi admodùm Patris, M. IACOBI IANIDLOVII, I. V. Doctoris & Profeſſoris, S. Sedis Apoſtolicæ Protonotarij, Canon. Sand. in Acad. Crac. generalis ſtudij RECTORIS & Procancellarij.

QVAESTIO.

V. Vnum, idemq́; numero corpus, Physicè consideratum, quod iuxta esse suum totale, nõ autem iuxta partes sui diuersas, vnâ periodo duntaxat, licet non definitiuè nec informatiuè, sed prout distantiâ situaliter, & superficie localiter circumscribitur; possit esse simul ex naturà suâ in multis partibus vniuersi, ijsq́; diuersis seu etiam infinitis locis; prout id non nisi causæ supremæ omnia continenti simpliciter; & intelligentijs siue in se sumptis, siue ad corpora mouenda applicatis; necnon animæ intellectiuæ, corpus totum, & quamlibet eius partem informanti, secundum quid attribuitur: an verò nequaquam id ei cõpetere possit? atque adeò omne ens creatum vnum locum sibi vendicet, non autem plura; nisi primæ causæ potentia ordinatâ & absolutâ interueniente.

Conclusio Prima.

Vnum, idemque numero corpus, iure naturæ, non potest simul esse in locis diuersis.

Corollaria.

1. *Nulli virtuti naturali concessum est, vt efficiat suapte vi & potestate simul idem corpus in locis pluribus; cum nihil agat supra vires; id autem virtutis esse superioris, nemo ire potest inficias.*

2. *Quando aliquid indifferenter se habet ad plura; quâ ratione potest esse in locis duobus, eadem sanè posset esse in omnibus, sicq; processus daretur in infinitum.*

3. *Sicut per propriam naturam res est in vna tantùm specie: ita per vnam dimensionem corpus est tantùm in vno loco.*

4. *Quicquid mouetur localiter, quantùm capit de termino ad quem, tantùm perdit de termino à quo.*

5. *Dicere, corpus finitum posse esse in locis infinitis, repugnat rationi.*

6. *Locus circumscribit locatum gratiâ quantitatis: non quanta enim non sunt in loco circumscriptiuè, sed saltem definitiuè.*

Conclusio II.

Ens

Ens ſupremum ac illimitatum, eſt in toto vniuerſo eiuſq; partibus quibuslibet: per præſentiã intellectu, quatenus omnia cognoſcit, & aperta habet ſimpliciter: per potentiam voluntate, quatenus omnia creata illius nutui ſubiiciuntur, & tam in eſſe quàm in operari ab eo dependent: per eſſentiam, illapſu, quatenus omnibus rebus ineſt ſua ſubſtantiâ, eſtq; cauſa eſſendi omniũ.

Corollaria.

1. *Eſſe in toto vniuerſo & in omnibus eius partibus ſimul, nulli creaturæ cõuenit, ſed ſoli immenſæ & effectrici omnium rerum cauſæ.*

2. *Infinitas, & ſimplicitas, arguit primam cauſam ſine vllo motu ſuiipſius eſſe omni in loco, penitusque ex vi bonæ cõſequentiæ entis ſupremi infinitatem ſequitur omnimoda (vt Philoſophi dicunt) vbiquitas. Porrò infinitum eſſe id etiam ab antiquis nuncupatur, quod complet omnia, extra illud autem nihil reſtat accipere.*

3. *Ens ſupremum ita replet omnia, vt illis vtique non ſit permiſtum: nec tamen ab illis excluſum dici poteſt; cum ſit intra omnia, & tamen extra omnia eſſe conſideratur.*

4. *Prima cauſa habens ordinem ad omnia, ſine vlla ſcilicet dependentia; efficiendo, gubernando, conſer-*

 uando,

uando, rebusq́; omnibus intimè illabendo, est omni præsens, abundantissimè replens omnia, ex eoq; illum esse vbiq; recta suadet ratio & religio.

5. Esse vbique, est omnia & singula loca continere, ab eis autem nequaquam contineri; exindeq; ob amplissimam infinitatis naturam, nulla prorsus ratione etiam spatiis imaginariis limitari nec commensurari.

6. Ens infinitum, si faceret vnum vel plures mundos præter hunc qui nunc est, adhuc esset in eis tanquā continens non autem tanquā cōtentum; nec mutaretur omnino eam obrem, quia non consurgeret noua relatio eius ad res creatas, sed potiùs rerum creatarum ad illud, quatenus videlicet nouum esse nunc primùm inciperent habere.

Conclusio III.

Substantiæ spirituales, quæ Philosophis intelligentiæ dicuntur, cum sint extra omnem materiam, nullo modo sunt in loco circumscriptiuè secundum se, sed solummodò secundum substantiam loco præsentem, definitiuè nimirum. Vtrum autem sola substantia citra omnem operationem, an verò ipsa operatio, sit formalis ratio intelligentiis essendi in loco, problema esto.

Corollaria.

1. *Intel-*

1. *Intelligentiæ ſunt in loco, ſiue operentur, ſiue non operentur.*

2. *Non eſt abſurdum, intelligentias corporibus eſſe præſentes, applicatione virtutis in mouendo, gubernando, conſeruando, idq; dependenter.*

3. *Intelligentia vna & eadem poteſt eſſe in pluribus locis ſecundum rationem adæquatam, ob ſuam indiuiſibilitatem completam; non tamen eſt vbiq; ob ſuam ſubſtantiam limitatam.*

4. *Intelligentiarum localis ſitus & conſiſtentia, non eſt perfecte cognoſcibilis ſine proportione ad corpora, ex quorum motu cognoſcuntur eſſe in loco, licet eo non commenſurentur; neq; ſpatio per quod tranſeunt coarctentur.*

5. *Motus localis intelligentiarum, requirit locum ſaltem definitiuum.*

6. *Intelligentias eſſe plures in eodem loco phÿſico, non repugnat, ob earum immaterialitatem atomam ac indiuiſibilem. At verò vtrum in loco metaphyſico intelligentiæ plures eſſe poſſint, problema eſto.*

Concluſio IIII.

Ita ſe habet anima ad corpus, quemadmodum cauſa prima ad totum vniuerſum, quod continet & conſeruat; ex eoq; vt cauſa prima in omnibus vniuerſi partibus & vbiq; eſt, nec vllis

locorum

locorum terminis coanguſtatur, ob ſuam infinitatem; ſic animam in omnibus corporis partibus & vbiq; eſſe ob ſuam indiuiſibilitatem, non eſt dubitandum.

Corollaria.

1. *Anima eſt interminabilis, quia incorporea; exeoq; non poteſt dici quantitatiua nec diuiſibilis; porrò indiuiſibile vbi eſt totum eſt.*

2. *Non ſic de corpore Phyſico intelligendum, vt de anima intellectiua; quæ licet in corde dicatur eſſe principaliter iuxta philoſophum; tamen in omnibus corporis partibus quas informat, quippe tam hemogeneis quã heterogeneis, ipſius eſſentia deprehenditur; Atqui corpus vbi eſt, ibi loco illud contineri & commenſurari eſt neceſſe.*

3. *Anima eſt tota in toto & qualibet parte corporis tota; idq; propter ſuam ſimplicitatem, & virtutem, quã mediante corpore exercet.*

4. *Totalitas animæ ſecundum eſſentiam & poteſtatem, non verò iuxta quantitatem molis, attribuenda eſt.*

5. *Anima humana corpori cõiuncta eſt in loco informatiuè, in toto quidem corpore vt in ſubiecto adæquatè perfectibili: in qualibet autem corporis partè quatenus mouet vt in ſubiecto non adequatè perfectibili.*

Iamuero

Iamuerò anima separata à corpore ingreditur modum essendi substantiarum separatarum & immortalium, nec in loco est nisi definitiuè.

6. *Licet homo dicatur quantus vel albus; anima tamen nihilominùs etiam corpori iuncta non dicitur quanta vel alba; quia hæc accidentia afficiunt subiectum non ratione vtriusq; partis, sed vnius duntaxat; quæ quidem est corruptibilis; porrò anima est immortalis & incorruptibilis.*

Conclusio V.

Potentia primæ causæ absoluta cùm sit illimitata & infinita, potest efficere vt idem corpus sit in locis pluribus & diuersis.

Corollaria.

1. *Potestas entis supremi efficit omne id quod habet rationem factibilitatis: id verò quod non potest efficere, dicitur* ἀδύνατον *seu impossibile.*

2. *Non propter diuinæ potentiæ, sed propter defectũ rei factibilis, dicitur aliquid primæ causæ factu impossibile; quod non sit capax illius ex suæ naturæ perfectione & bonitate summâ, vt pote admittere illa quæ deformitatem & priuationem in se habere videntur.*

3. *Potentia primæ causæ cum sit duplex; Absoluta*

ta quæ

ta quæ ad omne ens possibile se extendit; Ordinaria, quæ ad finem cuncta dirigit, eaq́; iuxta naturæ suæ institutum moderatur, ac ordinem promouet sempiternum; Hac vtraq́; prima causa cum sit prædita, potest omnia efficere, præter illa quæ non implicant contradictionem.

4. *Dato casu, vt si vnum idemq́; numero corpus supernaturaliter esset simul & semel in pluribus locis per diuinam potentiam, accidentia quæ ordinem habēt ad locum siue ad vbi, vel idem sunt cum eo, non prorsus vbiq́; eadem corpori acciderent. Cætera porrò accidentia, quæ non habent ordinem ad locum, vbiq́; ei conuenirent; nisi diuinæ potentiæ omnipotentis nouum miraculum interuenerit, cuius vi fieret, vt illa etiam accidentia quæ non habent ordinem ad locum, eidem corpori vno in loco & non in alio tribuerentur.*

5. *Non est inconueniens corpus secundum diuersas sui partes esse in locis diuersis naturaliter, idq́; secundum quid & non simpliciter. Namq́; partes cum non existant per suum esse proprium, sed secundum esse totius, idcirco nec distantiam localem possunt sibi vndiquaq; vendicare, nisi ratione totius corporis extensi.*

6. *Siquidem vnumquodq́; corpus, habet suas superficies tam extimam quàm internam, necesse est iuxta eas continens statui: vel commune, quod scilicet plura continet in se contenta, quemadmodum cælum omnia*

inferiora

inferiorum corporum: vel proprium, quod ita continet hoc vt non illud, nonq; ipſum contentum actu ſecundum aliquid ſui amplius ab alio continetur.

Diſputabitur hæc Quæſtio publicè in Magna Aula DD. Theologorũ Cracouiæ: quam tuebitur M. MATTH: BVCZKOVIVS, Cont. Ieruſ. Senior, ſuffultus patrocinio & benignitate Excellentiſſ. ac Rndi Admodùm Domini, M. MARTINI CAMPII VADOVII, S. Th. Doctoris & Profeſſ. necnon ad S. Flor. Præpoſiti: Domini, Patroni, & præceptoris ſui colendiſſimi.

FINIS.